

rum, quae in hac catechesi puerili complecti non potuimus, vberiorem explicationem assumant ex libello Examinis theologic*i*<sup>256</sup> et caeteris libris corporis doctrinae harum ecclesiarum,<sup>257</sup> quod sine omni dubitatione statuimus esse consensum piae et orthodoxae ecclesiae congruentem cum scriptis prophetis et apostolicis et cum symbolis catholicis.

5

Quae est causa certitudinis doctrinae  
christianae?

Summa ac praecipua causa certitudinis est patefactio diuina comprehensa in scriptis prophetarum et apostolorum.

10

Qui sunt gradus testimoniorum, quos recitauit vetustas ad confirmandam  
certitudinem doctrinae christianae contra ethnicos?

[133:] Vetustas bono consilio collegit septem gradus testimoniorum: Primus gradus continet miracula et vaticinia, quia sola ecclesia habent facta inusitata extra naturae ordinem, quae nulla creatura imitari potest, et habet praedictiones non solum de meßia, sed etiam de vniuersalibus mutationibus generis humani et de serie monarchiarum, quibus euentus certissime respondit. Secundus gradus est antiquitas doctrinae, quia nec leges antiquiores quam Mosaicae extant nec historia vlla recitat initia mundi et continuam seriem annorum propter narrationes biblicas. Tertius gradus est collatio doctrinarum. Ethnici, Mahometistae, blasphemi, Iudei et alia sectae tantum retinent particulam legis, de quibusdam externis et ciuilibus officijs et addunt cultus idolorum aliae alios. Prorsus autem ignorant Filium Dei et promissionem gratiae traditam in euangelio. At sola ecclesia retinet integrum et incorruptam doctrinam legis et euangelij et notitiam Filij Dei domini nostri [134:] Iesu Christi crucifixi et resuscitati pro nobis. Sola etiam doctrina ecclesiae monstrat causas et remedia peccati et mortis et consolationes firmas tradit opponendas omnibus calamitatibus. Quartus gradus est experientia spirituialis. Nam pij, qui reguntur verbo Dei, experiuntur consolationem Spiritus sancti, agnoscent suas preces exaudiri et confirmantur multis testimonijs praesentiae Dei. Hoc domesticum testimonium sumptum ab vniuersiusque pij experientia nequaquam leue ducendum est. Quintus gradus est fortitudo martyrum in supplicijs, quia cum fuerint homines

<sup>j</sup> Nicht in F, G.

<sup>256</sup> Vgl. Philipp Melanchthon, Examen ordinandorum (1559), in: CR 23, 1–102.

<sup>257</sup> Zu den Schriften, die im Corpus doctrinae Philippicum enthalten waren, vgl. die Historische Einleitung, 7, Anm. 14.